

ros, cum videant nouas Bullas publicari, & quas ipsi acceperant, ad elapsum biennium pertinere. Nec facile eos tranquillare poterunt distributionis ministri, aut alij, qui causam Tribunalis conentur defendere. Merito ergo postulabunt vt sibi noua tradantur Bulla, ad quod & qui distribuunt tenebuntur, nullam nouam acceptam pecuniam. Quod quidem a sinceritate & ingenuitate, qua tractari res ista debent, valde videtur alienum. Si autem dicatur non faciendam publicationem post Bullarum aduentum, sed post elapsum biennium ad distributionem earum, quae superfuerunt, & consequenter aliarum, quae postea aduenient; id certe non videtur posse sustineri. Nam a die publicationis currit biennium, sicut annus alibi: & vnusquisque jus habet vt possit integro biennio frui. Atqui multi non sumunt Bullam elapsi biennij ob illius incertitudinem: neque enim tenentur cuilibet declarationi stare, cum sint viri docti oppositum sentientes. Si autem sumant nouam post aliquos menses adductarum, biennium illis a publicatione integrum non relinquunt. Praeterquam quod publicari non possunt Bulla, de quibus non constat an sint peruenturae, vt est valde contingens, submersa, in qua exportantur, nauis, siue ab hostibus occupata. Publicatio ergo certam materiam requirit, vt ipsum nomen ostendat; id enim publicum, quod occultum prius erat, non quod possibile est vt sit; cum possit etiam non esse, etiam moraliter loquendo. Quae quidem docti & attenti negotij huius administri solerter aduertent, & viam hanc ita exhibebunt planam, vt nullum in ea offendiculum fidelibus relinquatur. De quo cum satis haec sint, sit iam

*Secundum, an Prorex inbibere possit Commissarium, quando ille commissionis limites videtur transire.*

220 **R**espectu iudicum aliorum expressa est prohibitio apud Dom. Solorzanum, qui tenorem erectionis Tribunalis in Indiis refert, pro causis ad Bullam spectantibus cum plenitudine potestatis expediendis: sic enim in ea dicitur: *Sin que por via de suerza, ni por otro algun modo, se puedan llebar, ni lleben las dichas causas a las dichas Audiencias Reales, ni introducir se, ni se introduzgan en ellas por manera alguna.* Sic ibi. Sed durum satis apparet, vt si Commissarius velit aliquem iniuste vexare, nullus remaneat illi recursus, sed onus sit quantumuis importabile subiturus. Et tale aliquid visum aliquando, cum Religionis cuiusdam supremus Praelatus ad reuocationem Religiosi a se extra urbem abire iussu ob causas sibi bene visas, per censuras cogere. In quo quidem Commissarius iuxta communem aestimationem affectu quam ratione potius ducatur. Vbi si dicatur nullum esse inconueniens in eo quod sic coactus obtempere, cum possit Concilium S. Cruciatæ de re tota certum reddere, a quo dubio procul remedium adhibendum. Id sane nullius consolationis est violentiam patienti: remedium enim tale sero veniet, si tamen veniet, aduersantium informatione apud iudices remotissimos praualente.

*Non posse illam omittis.*

*Prohibitio de Audiencia de causis Cruciatæ cognoscant.*

*Dura si generalis, videtur.*

121 Propterea dicendum videtur Proregem posse in casu tali, & similibus, suam auctoritatem interponere violentias manifestas remouendo: non quidem iudiciali indagine, sed de facto, monitorius in primis vtendo; iis autem non procedentibus, ad impediendum efficacem potentiam adhibendo. Pro quo facit in prohibitione praefata Proregis non fieri mentionem, & ita illius prouidentiam non exclusam, qui, vt ait P. Oñate Tomo 2. *Disputat. 46. num. 60. in Indiis Tribunali Cruciatæ praesidet, & imperitat.* & Dom. Escalona Lib. 2. *Cap. 34. num. 9. ita in specie scribit: En casos extraordinarios, y de gobierno superior, por razon de la quietad publica en competencias de Tribunales en contrados, se puede interponer el virrey, usando para remediar las de los poderes que tiene, como qui en representa la Real persona.* Sic ille. Debet ergo tunc Commissarius cedere, & a censuris abstinere; & si absolutione opus sit, eam impendere, honeste colore quaesito: ad quod directo Proregis mandato non vrgendus, sed rei ipsius conuenientia, cum iam contumacia non sit, quandoquidem Proregalis auctoritatis interuentu obedientia prohibetur. Non enim contumax dici potest, qui, vt non obediat in re sibi permolestâ, adiutorium licitum & vltimum implorat; praesertim quando iurisdictionis excessus comperitur: *Cum non leuis sit culpa tantam imponere poenam infanti: vt habetur in Cap. Sacro, de sententia excommunicat. vbi & illa extat Pontificis admonitio: Caveat etiam diligenter ne ad excommunicationem cuiusquam absque manifesta & rationabili causa procedat.* Sic Clemens Tertius. Vbi ergo neque rationabilis, neque manifesta est, quod si grauatius auxilium Ecclesiasticis Patronis; sed non adest: is ergo aditur, qui auxiliari potest, & Dei officio perfungi, cuius est violentiam passus subuenire.

*Tertium, circa taxam pecuniae ab accipientibus Bullam tribuenda.*

222 **E**t illa in Indiis diuersa ab ea, quae in Hispania, & regnis aliis Coronae seruatur, in quibus solita publicari. Et habetur in speciali Instructione apud Alfonso Perez de Lara in *Libro trium gratiarum, Fol. 254.* ex quo illam adducit Trullench Lib. 1. *§. 3. sub. 1.* & ex hoc P. Mendus *Disput. 1. num. 11.* Qui tamen in eo decepti, quod pro Indiis, quibus Religiosi, pauperes, & Aethiopes exequantur, duos regales Castellanos assignatos affirmant; cum tamen sint duo tomini, qui tres regales cum quartello conseruiunt. Tominus enim duodecim habet grana. Nisi forte nomine Castellani eum intelligendum velint, quam nos *En sa yado* dicimus, sic enim idem est quod Tominus. Talis ergo taxa pro praedictis omnibus assignata. Et circa eam inquiri potest an valeat consuetudo, quae esse dicitur, vt milites eadem perfuantur. In quo, si reuera ita est, & sciente Commissario subdelegato id sit, non videtur notitiam talem Commissario generali desuisse, & ita eo sciente & annuente, licet tacite, potest consuetudo praefata sustineri. Quae ratione vtuntur docti scriptores ad probandum annum publicationis Bullae esse Ecclesiasticum, & non solarem, quia vsus sic habet, sciente

*Ad Proreges non extendi in causis extraordinariis, quia & circa Cruciatæ Tribunalis eius extenditur prouidentia.*

*De Escalona.*

*Quomodo id rite praestandum.*

*Excommunicatio solis pro manifesta & rationabili causa.*

*Cap. Sacro de sent. excommunicat.*

*Taxa contributionis pro Indiis, & specialiter pro Indiis, seruis, &c.*

*An milites eadem rite possint.*

*Consuetudo circa hoc potest praestari.*

& patiente Commissario, vt videri potest apud P. Mendum *Disput. 2. num. 7.*

223 Potest vterius quaeri an Indiis mendicis pro minori pecuniae summa possit Bulla concedi. Nam inter Hispanos variae classes sunt, iuxta diuersas eorum facultates: ergo & inter Indos aliquid huiusmodi statuendum est, cum inter eos sui etiam diuersi status sint, & ita Caciuij pondus argenti insatiari debent contribuere. Verum ratio ista conuenientiam quidem dispositionis ostendit; vnde & statui posset exiguum aliquid pro Indiis mendicantibus, regalis inquam: de facto autem nequit admitti; quia nulla minor taxa extat, quam praedicta: & in hoc arbitrari non licet subdelegatis Commissariis; alias possent etiam circa Hispanos taxam variare; quia non videtur consonum, vt idem a mendicante, ac seruiente actualiter exigatur; qui enim seruit, plus dare potest, cum seruitij mercedem accipiat, & multoties copiosam. Praeterquam quod in Bullae concessionem non tam attenditur spirituale fidelium bonum eam accipientium, quam subsidium pro bello contra infideles; ad quod nihil penditur id, quod ab Indiis mendicantibus tribui potest. Et talis illi ingenij sunt, ac peculioli sui adeo tenaces, vt rarus futurus sit sua sponte Bullam accepturus. Id autem in xenodochiis opportunè prouidum, vt morituris Bulla, si eas non obtruerint, tribuantur.

*Circa seruientes distichulas, qui nam intelligendi.*

224 Circa eos, qui seruiunt, inquiri etiam potest, an ij solum intelligendi sint, qui famulatio assistunt, quos vulgo vocamus *Moxos*, & communibus ministeriis destinantur. An verò etiam qui superius aliquod ministerium tractant, vt famulorum Praefecti, vel qui in praedijs villicis agunt: seruiunt namque omnes, & iuxta voluntatem Dominorum res sibi iniunctas exequantur. Ad quod negatiue mihi videtur respondendum, a tanto modo loquendi Commissarij; ait enim: *T los hombres y mugeres de seruicio.* Iuxta vltimum autem modum loquendi nostrum nomine *gentis de seruicio* ij tantum veniunt, qui in domesticis ministeriis seruilem, aut quasi seruilem operam praestant, & vt dixi, vocantur *Moxos*, in quibus & qui antea bulbones equestres, & qui *Pages* dicuntur, adolescentes inquam postergales. Alij autem nominati non dicuntur tales: & licet voluntati dominorum obsequantur, alius ministerium tractant. Quod quidem receptum est scriptorum doctrinae conforme, asserentium verba sumenda esse secundum vulgarem acceptionem, & non in omni earum amplitudine, quando de illa non constat loquentem intelligi voluisse. Quod bene explicat & exornat Cardin. Mantica *Decisione 59. num. 8.*

*Qui nomine mendicanti videntur: vbi verecundantes videntur ostenduntur.*

225 Pro mendicantibus occurrit item dubitatio, an soli illi intelligendi sint, qui ostiatim petunt eleemosynam; hoc enim est proprie mendicare: an possit etiam ad alios extendi, verè inopes, licet ostiatim ob verecundiam non mendicent. In quo dicendum videtur, omnes, qui ex eleemosynis viuunt; tam viros quam feminas, quas non est decens ita mendicare, mendicantium nomine comprehendit, quia in omnibus eadem est ratio; immò & maior in iis, qui ob verecundiam ostiatim non mendicant: isti enim abundantius sibi consulunt, vnde diebus istis de-

prehensi sunt aliqui pecuniosissimi: licet autem a paritate rationis non semper vigeat argumentum, cum de privilegijs agitur aut dispensationibus, per notissimam regulam juris in 6. *Quae a iure communi exorbitant, minime sunt ad consequentiam trahenda.* Pro pro videri potest P. Thomas Sancius *Lib. 8. de Matrimonio, Disput. 1. num. 32.* vbi agmen scriptorum adducit. Hic tamen non in sola paritate nitimur, sed quia nomine mendicantium verè comprehenduntur ex eleemosynis viuentes, cum ad januam aliorum per se, aut per alios accurrunt, vt possint viuere, immò etiam si non accurrant, sed alij ad subueniendum ipsis sponte moueantur, mendicantes dici possunt, non actu, sed habitu: sicut Religiosi Mendicantes dicuntur; etiam si reipsa non mendicent; quia eorum status ad mendicandum est dispositus, ad differentiam Monachorum. Praeterquam quod in fauorabilibus extensio fieri potest ob rationis paritatem, vt videri potest apud P. Sancium *supra, num. 33.* vbi alios congerit. Et P. Henriquez *Lib. 7. de Indulgentijs, Cap. 30. num. 3.* vbi ait ex praedicta ratione concessionem eorum extendi ad illos & caeteros. Et pro similibus casibus sunt Auctores alij, vt videri apud eundem P. Sancium potest *num. 38.* sicut & doctrinae alia suffragantur apud ipsum *num. 34. & seqq.*

*A paritate rationis quomodo argumentum.*

*In fauorabilibus extensio.*

*Quartum, circa vsus ouorum, lacticiniorum, lardi, & butyri iuilli.*

226 **A**n scilicet in Indiis eorum liceat vsus sine Bulla. Commissarius enim generalis non licere contendit, & privilegium Pij Quarti circa hoc vires iam non habere, cum temporale fuerit, & illius ratio cessauerit. Propter quam rationem noua Bulla circa hoc pro Praelatis, Praebendaris, ac Presbyteris aliis nuper expedita, quibus per communem Bullam Quadragesimae tempore vsus praedictorum non licebat; licet illa de ouis tantum & lacticinis loquantur; & de stulla pinguedine nihil in speciali concessum reperitur. Quia verò vix erat, qui ad hunc effectum Bullam sumeret, subdelegatus Commissarius publico edicto transgressionem peccatum esse mortale declarauit, sub excommunicationis poena Confessariis iniungens, vt id poenitentibus aperirent. Videtur ergo iudicio Commissarij standum ob illius summam in negotio isto auctoritatem. Immo circa illud videtur esse non obscura Pontificum mens, cum Bullas circa praedicta concedunt, & solam hebdomadam Sanctam excipiunt. Supponunt ergo vsum talem minime sine Bullae acceptione licere: quod & ij pro certo habent, qui concessionem talem vt rem magni momenti, & in aestimatione speciali habendam, postularunt.

227 Nihilominus in Peruuio (& idem forte in alijs Prouincijs accidit) vsus praedictorum licitus, & omni scrupulo vacans, absque Bullae receptione putatur: & apud religiosos ac viros doctos, ac conscientiae suae studiosos vigeat, etiam post praefatas declarationes: eo fundamento, quod consuetudo circa hoc inueterata praualuit siue ratione alicuius privilegij originem habuerit, siue alijs. Consuetudinem autem posse legem

*In Peruuio contraria consuetudinem praualere.*

legem ieiunij aliquatenus abrogare, indubitatum est, & ita videmus in Hispania vsum extremorum carnalium & intestinorum Sabbatis introductum: & quod generalis est, serotinam refectionem vbiq; gentium, & notabilem Cœnæ anticipationem. Circa quæ sine vilo conscientiæ remorsu proceditur, & in casu quidem nostro Prælati non solum vident, nec contradicunt, sed etiam vsum eundem amplectuntur: cum sint illi & docti & pii. Quod cum accidit communis doctrina est consuetudinem esse rationabilem: Pro quo videri potest Diana Parte 6. Tractat. 5. Resolut. 5. & specialiter Parte 1. Tract. 9. Resolut. 21. vbi de consuetudine agit contra legem ieiunij. Cum ergo hoc certum sit, videndum an ex adductis fundamentis tali sit consuetudini derogatum.

Vnde robor in illa.

Neque Commissarius tam potest improbare.

Quibus fundamentis introducta.

Ex Bullis specialibus nihil quod urgeat, haberi.

Leges Pontificis consuetudines non abrogare.

228 Et in primis declaratio Commissarii non videtur obstat, quia illa consuetudinis titulum non improbat, quem nec improbare potest, cum ex dispositione Iuris communis habeatur vt lex Canonica consuetudine possit abrogari. Vt constat ex Cap. finali, de Consuetudine, & omnes Doctores admittunt. Solum ergo asserit priuilegium iam cessasse. Atqui vltus dictus priuilegium non innititur, cuius nec memoria occurrit iam ab annis plurimis, & ea ratio inualuit quod pisces in copia sufficienti non inueniantur, nisi in maritimis, & cibaria alia exigui vigoris sint, regionesque istar homines languidos reddant. Quæ vltima ratio iuuat pro regionibus etiam maritimis: sicut etiam quod cum ita remotis, atque Europæ commodis defitutis, non ita est seuerè agendum, vt nihil de lege Ecclesiasticæ ieiunij fuerit remittendum: cum n sciamus in regionibus aliis, indulgentias aliquas circa illam tolerari. Sic in Belgio, diebus paucis exceptis, consuetudo permittit lactinia etiam in Quadragesimâ, vt testatur Diana Resolut. 21. citata. Et in Indiis nostris ex solâ consuetudine Sabbatis est licitus Indis carnis vltus. Quid ergo si Hispanis vltus præfatus liceat? Nec maius habere pondus potest subdelegati edictum, de quo supra.

229 Quod verò ad concessionem Bullarum specialium attinet, responderi potest ex illis nihil peculiare haberi quod urgeat. Sicut enim non habetur ex eo quod in Bullis communibus concedatur facultas ad vsum prædictum, vt ostendimus; ita neque in aliis pro Clero concessis, quia illæ non sunt specialiter pro Indiis postulatæ, sed pro regnis etiam aliis Hispanæ Coronæ, in quibus est Bullæ vltus introductus, & ita, sicut & aliæ ad Indias remissæ, contendente Commissario posse in illis effectum habere, ex motiuo dicto: Nec supponit Pontifex communem ieiunij obligationem, quæ in omnibus vigeat Hispanæ Coronæ regnis, sed quæ iuxta legem est Ecclesiasticam, quidquid de consuetudine regionum quorundam sit, quam non tenetur scire vt dispositio eius curret. Consuetudo enim non est aliquid iuris, sed facti, quod legislator scire non tenetur: cum id solum, quod est communis iuris, debeat in scrinio pectoris retinere. Pro quo est Cap. Licet Romanus, de Constitutionibus in 6. vbi sic loquitur Bonifacius Octauus: Licet Romanus Pontifex (qui iura omnia in scrinio pectoris

sui censetur habere) Constitutionem condendo posteriori, priorem, quamuis de ipsâ mentionem non faciat, reuocare nō potest: quia tamen, locorum specialium, & personarum singularium consuetudines & statuta (cum sint facti, & in factis consistant) possunt probabiliter ignorari, dum tamen sint rationabilia, per Constitutionem à se nouiter editam (nisi expresse caueatur ipsa) non intelligitur in aliquo derogare. Sic ille. Iuxta hæc ergo, si Rex noster consuetudinem abrogari velit, Pontificis impleret potestatis. Sed an expediat, alterius est considerationis; & vt ego autumo, difficile poterit stabiliri.

Cap. L. Romanus.

230 Et quod ad butyrum suillum, sagimen, seu lardum attinet, non est singularis, & sine exemplo Indica consuetudo, cum sit eadem in Sicilia, teste Diana Resolut. 21. citata & multis aliis in locis, eodem teste loco inferius allegando: apud quem etiam sunt Doctores aliqui asserentes, stante licito ouorum & lactiniorum vltu, etiam licitum esse sagiminis: quod diuersimodè probant graues Societatis Auctores: alij, quia pinguedo non est caro, sed quid naturalis augmento superueniens, ex Aristotele Lib. 2. de generatione: alij autem, quia minus est, & maiori concessio in consequentiam venit, iuxta multorum doctrinam apud P. Sancium Disput. 1. citata n. 37. & seqq. Vtrumque autem est difficile, & ideo iudico sagimen non licere, etiamli oua & lactinia liceant, & ita virtute Bullæ non esse licitum illius vltus: quod tenet Diana Parte 10. Tract. 16. Resolut. 77. mutans, vt ille ait, re melius consideratâ, sententiam, quam docuerat Resolut. 21. citata. Si ergo hæc licet, ad consuetudinem est præscriptam recurendum. Sanguinem autem licere diebus, quibus præfata licent, & si non defuerit, qui ita sit attestatus, absurdissima mihi assertio est, neque Hostiensis attribuenda, in Summa, de obseruantia ieiuniorum s. Quando n. 8. de sagimine enim, & non de sanguine locutus. Vult autem Diana citata Resolut. 77. non sagimine, sed sanguine legendum, & P. Azorium Lib. 7. Cap. 10. Quest. 8. malè sagimen pro sanguine transcripsisse. Sed certè non erat cur errantem transcriptionem Auctori tanto bonus etiam Auctor adscriberet: nam Hostiensis pro assertione suâ citat Cap. Presbyter 82. dist. in quo non sanguis, sed sagimen habetur. Nam cum ibi de penitentia, quam acturus erat Presbyter fornicarius, agatur, pro diebus remissionis ieiunij ita dicitur: Tantiùm autem diebus Dominicis, & præcipuis Festis, modico vino, & pisciculis, atque leguminibus recreetur, sine carne & sagimine, ouis & caseo vltur. Sic ibi iuxta quæ non est eadem ratio de ouis & sagimine, cum vnũ, permissis alijs, constet prohiberi: & sagimen quasi quod ad carnem spectans, eadem societur. Quod si inferius sagimen, oua, & caseus permittuntur; ideo est, quia plus aliquid post diurniorem penitentiam indulgetur. Vnde non benè Glossa ibi argumento id esse ait vt liceat comedere de sagimine illis diebus, quibus oua & caseum licet: pro quo adducit Cap. Denique 4. dist. vbi tamen de sagimine nec verbum, sed lacte, caseo, & ouis vt prohibentur illi, quos Ecclesiasticus gradus exornet, in Dominicis à Quinquagesimâ, iuxta veterem consuetudinem. Si quid autem ex eo licet colligere, id certè est, cum

De butyro suillo, & sagimine. Et quod sine speciali concessione non liceat, quidquid nonnulli censent.

Sicut neque que sanguinem, quo d non bene Hostiensis vultur.

Cap. Presbyter.

Glossa sententia reprobat.

Cap. Denique.

cum prædicta prohibentur, etiam sagimen propter rationem ibidem adductam prohiberi: quia scilicet sementinam trahunt originem carnis: neque expressum sagimen, quia de illo non videbatur posse dubitari.

Quintum, circa Bullam Compositionis. Vbi specialis difficultas, cum quantitas est ingens, & supra communem compositionis modum.

Compositio vt currat in Indiis in qualibet quantitate.

231 Potest quis in Indiis compositione vt, duodecim regalibus pro triginta ducatis, quæ dominis debentur incertis, erogatis: quod si debitum maius sit, plures Bullas sumere, eadem pro singulis quantitate redditâ, vsque ad summam nongentorum ducatorum. Quod si debitum amplius sit, quàm vt Bullis acceptis satis fieri eidem possit, adeundus Commissarius, qui ad hoc specialem instructionem habet, in quâ continetur vt compositio fiat ad rationem decem pro centum, consideratione habitâ & maioris culpæ, quæ in usurpatione excessiue aded quantitatè interuenire solet, & etiam quia ex illâ æquum apparet, vt maius emolumentum pro opere momenti tanti, quale Cruciatæ conuenit, accrescat: cum & hoc non frequenter eueniat, minusque videatur difficile, quandoquidem excessiua quantitas relinquatur debitori. Non est autem necessarium vt tota illa quantitas debita ad rationem decem pro centum componatur, sed compositione per Bullas factâ vsque ad summam dictam nongentorum ducatorum, inde alius compositionis modus assumendus.

Specialis difficultas.

232 Sed quid si compositione factâ per Bullas hoc biennio prædicationis, compositio pro summâ reliquâ in biennium aliud differatur? Poteritne tunc per Bullas multiplicatas fieri, vel vtendum necessariò compositione ad rationem decem pro centum, sicut præstandum fuerat elapso biennio? Et dilatio quidem potest esse licita, ac etiam illicita: si enim satisfactio fieri hoc biennio possit, ad sequens differri nequit: immò nec ad breuius spatium: quia restitutio statim facienda est, iuxta regulas, quas Doctores pro ea tradunt; si autem non possit, clarum est in eo non esse peccatum. Potest tamen esse dubium, an qui hoc biennio, vel hoc anno, vt in Hispaniâ, restituere nequit eo modo, quo incerta restituenda sunt, poterit tamen sequentibus, teneatur ad compositionem de præsentia. Et dicendum non teneri, quia compositio loco restitutionis succedit: cum ergo illa non obliget in præsentia, neque etiam compositio: hæc enim rationem habet gratiæ ac priuilegij, & priuilegij vtimur cum volumus. Quod est P. Mendi doctrinæ conformè Disput. 32. num. 51. quamuis oppositum probabile alicui videri posset ex illorum sententia, qui dicunt teneri ad audiendam Missam, qui priuilegium habet ad audiendam illam in Oratorio tempore Interdicti: est ipsidem sublatum impedimentum adimplendi præceptum. Sed certè similitudo non videtur penitus congruere: nam aliud est habere priuilegium, & eo teneri vt; aliud autem priuilegium teneri querere ad satisfaciendum obligationi: hoc enim posterius ad-

Priuilegium aliquando obligat, sed non est obligatio querendi illud.

mittendum non est, & ita non tenetur quis priuilegium Oratorii querere ad satisfaciendum obligationi Missæ audiendæ: & ita nec priuilegium Compositionis. Quamquam & contra hoc possit vrgeri: nam priuilegium iam quis habet, ex eo quod Bulla Compositionis publicetur: Compositio autem ipsa est vltus talis priuilegij: & ita per priuilegium tollitur impedimentum satisfaciendi præcepto restitutionis, curritque doctrina de Missa, & aliis similibus.

Prosequitur resolutio, cum notanda doctrina.

233 Si ergo dilatio licita fuit, multiplicatis Bullis potest fieri compositio. Quod si secundâ compositione factâ sit vltior quantitas, ad quam nequeunt Bullæ pertinere, eadem consideratio habenda est, an scilicet eo anno vrgear satisfactio, an non. Si autem fuit illicita, maius est dubium, & ex doctrinâ P. Mendi dici potest locum esse compositioni; licet in casu nostro non loquatur in praxi, quam allegat, sed quando compositio culpate differtur. Nihilominus iunctis iis, quæ præcesserant, huius vltus esse sententiæ; cuius esse fundamentum potest, quia talis est Pontificis mens per Commissarium declarata, dum ad compositionem admittitur quicumque restitutionem diu deprehenditur distulisse. Sed quidem Instructionis forma contrarium videtur persuadere, in quâ dicitur vt compositio per Bullas vsque ad summam dictam fiat, & si vltior sit, Commissarius adeatur; qui modum compositionis attendet, & est is, quem diximus, ad rationem decem pro centum. Hoc ergo biennio fieri aliter compositio nequit: ergo nec sequenti. Illationem ostendo: nam instructio generalis est, & non pro hoc tantum anno: nihil enim tale exprimit, & ita vt iacet est intelligenda. Item. Sic differens grauitè peccat contra iustitiam; ergo nequit illi prauitas sua esse proficua, vt scilicet minori aded contributione satisfaciatur excessiue obligationi. Nemo enim ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest. L. Nemo 134. Inst. de regulis iuris.

234 Est insuper circa hoc difficultas, quomodo compositio hæc fieri sine Bullis possit, quas tamen necessarias esse Commissarii verba significant, dum sic ait: Y mandamos precisamente, que recibais en vos esta Santa Bulla, porque asi lo quiere y manda su Santidad, y que de otra manera no goceis de composicion, que por ella seos conuade. Ad quod responderi potest prædicta verba intelligenda de compositione ordinariâ, & iuxta determinatam quantitatem: de extraordinariâ verò aliam esse rationem, ad quam Commissarium facultatem habere non est æquum dubitare; licet in eius Instructione non extet mentio Apostolicæ concessionis, nisi ad compositionem per Bullarum acceptionem: quandoquidem ipse testatur sic faciendam à Pontifice constitutum. Et quidem compositionem, quæcumque illa sit, vt Commissarius Pontificis facit ad conscientiarum exonerationem: ergo debet extare commissio ab eodem Pontifice facta. Et talis est, quam verba illa in Bullâ concessionis indicant. Item conceditur facultas eidem Commissario, vt dictam subuersionis quantitatem à fidelibus, vt prædicatur, pro vltus & defunctis erogandam, iuxta personarum qualitatem, & bonorum quantitatem arbitrari possit. Quam facultatem ad Bullam etiam Compositionis spe-

Quomodo sine Bullis compositio fieri queat, quæ à Pontifice vt necessaria proponuntur.

Concessio nis tenor.